

## G

## EFFATA

I. GENERALE IDEM EST ESSENTIALITER CUM HIS AD QUAE EST GENERALE. Hoc effatum ita a D. Thoma explicatur: « Generale dicitur aliquid dupliciter: Uno modo per praedicationem, sicut animal est generale ad hominem, et equum, et alia huiusmodi; et hoc modo generale oportet quod sit idem essentialiter cum his, ad quae est generale: Alio modo dicitur aliquid generale secundum virtutem, sicut causa universalis est generalis ad omnes suos effectus, ut sol ad omnia corpora; quae illuminantur, vel immutantur per virtutem ipsius; et hoc modo generale non oportet quod sit idem in essentia cum his, ad quae est generale, quia non est eadem essentia causae et effectus <sup>1</sup> ».

II. GENERATIO ET CORRUPTIO NON AFFICIUNT DIRECTE MATERIAM NEC FORMAM, SED COMPOSITUM. Composito enim proprie competit *esse*; materia vero et forma sunt id, per quod compositum habet *esse*. Hinc generatio et corruptio materiam et formam attingunt ratione compositi; hoc est, dicuntur materia et forma generari, aut corrumpi, quatenus compositum formatur, aut dissolvitur <sup>2</sup>.

III. GENERATIO FIT IN INSTANTI. Nempe, sicut diaphanum, cum secundum se est dispositum ad lumen recipiendum, subito illuminatur a corpore lucido in actu, ita materia, cum est disposita, statim acquirit formam. Quocirca si aliqua forma non subito imprimatur subiecto, contingit ex hoc, quod illud non est dispositum, et agens indiget tempore ad hoc, quod subiectum disponat <sup>3</sup>.

IV. GENERATIO UNIUS EST CORRUPTIO ALTERIUS, ET CORRUPTIO UNIUS EST GENERATIO ALTERIUS. Patet eiusmodi effatum non esse *proprie* et *formaliter* accipiendum, nempe quasi generatio et corruptio idem sint; generatio enim est quid *positivum*, corruptio est quid *negativum*, sive illa est *via in esse*, haec est *via in non esse* <sup>4</sup>. Itaque corru-

<sup>1</sup> 2<sup>a</sup> 2<sup>ae</sup>, q. LVIII, a. 6 c. — <sup>2</sup> Vid. s. Thom., I, q. LV, a. 4 c.  
<sup>3</sup> 1<sup>a</sup> 2<sup>ae</sup>, q. CXIII, a. 7 c. Vid. *Motus instantaneus—successivus*, litt. M.—<sup>4</sup> *Cont. Gent.*, lib. I, c. 26.

ptio non est generatio, neque contra, nisi dicas fieri posse ut idem simul sit ens et non ens: « Corruptio et generatio, quamvis semper coniungantur, non tamen sunt idem, . . . terminus enim generationis est forma, quia est mutatio ad esse; terminus vero corruptionis est privatio, quia est mutatio ad non esse <sup>1</sup> ». Neque ipsum effatum intelligi potest *causaliter*, quasi unius generatio sit causa, quae alterius corruptionem efficiat, aut unius corruptio sit causa, quae generationem alterius producat; quia corruptio cum sit privatio, neque causa, neque effectus proprie nominatur. Itaque accipiendum illud est *concomitanter*; ita ut corruptionem unius rei sine mora semper naturali sequela excipiat et comitetur generatio alterius, sive, quod idem est, quotiescumque unum corrumpitur, statim aliud necessario generatur, et retro <sup>2</sup>. Causa huius vicissitudinis est materia, quae non potest esse sine forma, nec sub duabus simul consistere. Ea igitur, dum una forma exiit, alteram induit; et ideo unius corruptio est generatio alterius. Vicissim, unius generatio est corruptio alterius, quia, cum materia sub duabus formis consistere non possit, fit ut cum formam recipit, alteram deponat.

Ad eiusdem effati uberiores explicationem monere par est: 1<sup>o</sup> ipsum non admittendum esse in illis formis accidentalibus, quae contrarium non habent. E. g., generationem scientiae non concomitatur formae alicuius expulsio, cum ignorantia non sit res, sed rei privatio; 2<sup>o</sup> Corruptionem intelligendam esse quoad totum compositum, non vero quoad formam substantialem: ita, cum moritur homo, invehitur in corpus forma cadaveris; exinde desinit quidem actus animae informandi corpus, at ipsa anima non corrumpitur.

V. GENERATIONE POSTERIORA SUNT PRIORA PERFECTIONE. Perfectius enim est id, quod ultimo et per se intenditur; hinc natura incipit, ut suo loco explicabitur, ab imperfectioribus, atque ad perfectiora progreditur. Quocirca, « non oportet quod omne, quod est prius, sit perfectius, cum aliquid sit prius in via generationis, quod est imper-

<sup>1</sup> *In lib. II Sent.*, Dist. XXXIV, q. I, a. 2 ad 3.

<sup>2</sup> Sensum harum vocum, *Formaliter*, *Causaliter*, *Concomitanter*, vid. p. 132.

fectius, sicut puer viro, et addiscens sciente<sup>1</sup> ». Item, in generatione animalis, « primo inducitur anima vegetabilis, deinde, ea abiecta, inducitur anima sensibilis et vegetabilis simul<sup>2</sup> ».

VI. GENUS CONTINET SUAS DIFFERENTIAS. Genus nempe continet suas differentias *sub se*, et *potestate*, seu *aptitudine*, quatenus capax est ut ab illis determinetur. E.g., cum animal dicat id, quod vita et sensu pollet, cumque idipsum aptum sit ut determinetur, seu compleatur a *rationali*, vel *irrationali*, sequitur ut *rationale* et *irracionale* contineantur sub animali. At genus non continet *actu* et *in se* suas differentias; secus enim de quocumque praedicaretur genus, praedicarentur et differentiae; quod patet esse falsum; siquidem de homine, de quo praedicatur *animal*, non potest praedicari *irracionale*. Hinc differentia, ut s. Thomas inquit, « est extra essentiam generis; animal enim nominat tantum naturam sensibilem, in qua rationale non continetur<sup>3</sup> ».

VII. GENUS EST MAGIS ENS, QUAM SPECIES. Id quidem verum est respectu eorum, de quibus genus praedicatur; ipsum enim latius patet, quam species. At idem dici nequit respectu perfectionis. Nam, etsi genus quoad potestatem excedat singulas species per se, quia omnes implicite continet, tamen species in sui natura includit differentiam, quae, uti diximus, *actu* non est in natura, seu essentia generis. Hinc facile illud intelliges: GENUS EST IMPERFECTIUS SPECIE. Scilicet ratione proprietatum, quae speciei insunt, non vero ratione eorum, de quibus genus praedicari potest: e. g., substantia sub se perfectiora continet, quam corpus, cum in suo ambitu etiam spiritum includat.

VIII. GENUS EST PRIUS SPECIE. Est nempe 1<sup>o</sup> prius *natura*; concurrunt enim ad speciem constituendam, ideoque eius causa est; quocirca est prius specie, aequae ac prius est aurum, ex quo fit statua, quam ipsa statua. Ex hoc etiam illud consequitur, quod, sublato genere per intellectum, aufertur species; tamen, ablatis speciebus, adhuc manet per intellectum integra natura generis. 2<sup>o</sup> Est prius

<sup>1</sup> In lib. III Sent. Dist. XXVII, q. I, a. 4 ad 2.

<sup>2</sup> Qq. disp., De Pot., q. III, a. 9 ad 9.

<sup>3</sup> Qq. disp., De Pot., q. III, a. 16 ad 4.

*cognitione*, scilicet, confusa; facilius enim aliquis confuse apprehendit naturam animalis, quam hominis; non vero cognitione distincta; ut enim hanc nobis comparemus, a minus universalibus ad magis universalia progrediamur oportet<sup>1</sup>. Quod si genus non *materialiter*, nempe, prout in se est, sed prout genus est, spectetur, ac proinde prout ad speciem refertur, dicendum est ipsum esse simul *natura* et *cognitione* cum specie<sup>2</sup>.

IX. GENUS INEST SPECIEBUS SUIS<sup>3</sup>. Quod effatum ut recte intelligatur, admonendum est cum s. Thoma genus habere simul rationem partis, et rationem totius<sup>4</sup>. Porro, si genus spectetur uti pars, quatenus nempe concurrat ad constituendam essentiam speciei, quae est totum *actuale*, illud esse in speciebus suis iure pronuntiatur<sup>5</sup>. At si genus spectetur, ut totum, *potentiale* nempe et *universale*, tunc species velut eius partes sunt, ideoque potius illae insunt, seu subsunt generi<sup>6</sup>.

X. GENUS REFERENDUM EST AD PLURES SPECIES. Generis enim natura est imperfecta, seu incompleta, atque contrahitur ad speciem, et perficitur per differentiam; differentia autem aliquid non constituit, nisi sit simul distinguens ab aliis; ergo genus ad unam speciem referri non potest. Species e contrario non expostulat ut ad plura individua actu referatur; nam speciei natura in se perfecta est, neque ab accidentibus individui perficitur, sed tantum multiplicatur; ac proinde unum sufficit individuum, ut perfecta maneat<sup>7</sup>.

Ad hanc rem Scholastici, ut modum innuant, quo genus, et species de pluribus praedicari apta sunt, distinguunt *aptitudinem positivam* ab *aptitudine negativa*, docent-

<sup>1</sup> Vid. s. Thom., I, q. LXXXV, a. 3 c. Vid. *Magis universalis sunt priora minus universalibus*, litt. M.

<sup>2</sup> Vid. *Relata sunt simul natura et cognitione*, litt. R.

<sup>3</sup> « Genus quidem inest in speciebus; animal enim inest in homine et bove »; Clem. Alex., *Strom.*, lib. VIII, n. 6.

<sup>4</sup> *De ente et essentia*, c. 3.

<sup>5</sup> Vid. *Magis universale comparatur ad minus universale ut totum, et pars*, litt. M.

<sup>6</sup> « Totum non inest in partibus »; Clem. Alex., *loc. cit.*

<sup>7</sup> Vid. s. Thom., *In lib. I Sent.*, Dist. XIX, q. IV, a. 2 *sol.* Vid. etiam litt. U in *explicatione unitatis numericae*, ubi, quid sit principium individuationis, explicatur.

que illam esse in genere, hanc in specie. Est nempe *aptitudo positiva*, qua universale natura sua expostulat, ut ad plura *actu* referri intelligatur: *Negativa* autem, qua universale indifferens est ut ad unum, aut plura referri intelligatur, nempe, licet per se aptum sit inesse multis, et de multis praedicari, tamen nihil prohibet quominus ipsum ad unum referri intelligatur.

XI. IN GENERE LATENT AEQUIVOCATIONES. Non quidem propter ipsum genus, quasi genus sit aequivocum, nam genus secundum se ab omnibus speciebus aequaliter participatur<sup>1</sup>; sed propter differentias contrahentes genus, quae, cum constituent diversas species inaequalis perfectionis, videntur esse causa aequivocationis. Sic animal nobiliori modo reperitur in homine, quam in equo. Unde *aequivocationis* nomine hic *aequivocatio physica et impropria* venit, non autem *dialectica*, quae proprie *aequivocatio* est<sup>2</sup>.

XII. GENERUM NON SUBALTERNATIM POSITORUM DIVERSAE SUNT SPECIE DIFFERENTIAE. Genera *non subalternatim posita* sunt genera diversorum praedicamentorum, ut animal, quod ad praedicamentum substantiae, et numerus, qui ad praedicamentum quantitatis pertinet. Iam huiusmodi genera nullam differentiam sive *constitutivam*, sive *divisivam*<sup>3</sup> participant; e. g., aliis differentiis constituitur et dividitur animal, aliis scientia. Genera autem subalternatim posita vel sunt huiusmodi, ut ad idem pertineant praedicamentum, et unum sit sub altero, uti animal, vivens, corpus; vel sub eodem sunt praedicamento, sive superiori genere, sed unum non est sub altero, uti animal gressibile, et animal volatile, siquidem utrumque animali subiicitur, sed non unum alteri; item, potentia et figura, quae sub genere qualitatis sunt, non tamen una sub altera. Si primum, tunc genus inferius omnes amplectitur differentias *constitutivas* generis superioris, et etiam aliquam *divisivam*<sup>4</sup>. Sin alterum, tunc unum ex iis generibus aliquando habet aliquam differentiam *divisivam* alterius, puta *bipes* est differentia tum gressibilis, tum volatilis animalis, at non semper; e. g., Angelus, et corpus eandem differentiam *divisivam* non habent.

<sup>1</sup> Vid. s. Thom., *Qq. dispp. De Pot.*, q. VII, a. 3 ad 6.

<sup>2</sup> Vid. p. 109.—<sup>3</sup> Vid. p. 96.—<sup>4</sup> Ibid.

## H

## DISTINCTIONES

I. HABITUS — DISPOSITIO. Tum *habitus*, tum *dispositio* sunt qualitates, quae subiecto inhaerent, atque efficiunt, ut ipsum sive in se, sive in suis operationibus bene vel male se habeat. Discrimen inter istam, et illum in eo consistit, quod *habitus* sit qualitas immobilibus principiis innixa, atque natura sua firmiter inhaerens subiecto; *Dispositio* vero est qualitas ex natura sua facile mobilis, id- eoque leviter inhaerens subiecto. « *Habitus*, inquit Aristoteles, ab affectione differt, quia est res diuturnior, et permanentior<sup>1</sup> ». E. g., scientia, virtus etc. sunt qualitates ex sui natura firmissimae, cum illa principiis necessario veris, ista bono honesto, quod est immutabile, innitatur. Hae proinde qualitates vocantur *habitus*<sup>2</sup>. E contrario, suspicio, dubium, opinio et alia huiusmodi sunt *dispositiones*, quia levibus et facile mobilibus fundamentis innituntur; ex quo fit, ut sine labore removeri possint a subiecto. Similiter, sanitas et morbus sunt dispositiones, gignuntur enim ex levibus principiis, nempe ex concordia vel perturbatione humorum, quae facile mutari potest. Haec prae oculis habenda sunt, si *habitus* et *dispositionis* ipsa natura inspiciatur. At si conditio subiecti, cui qualitates istae inhaerent, attendatur, contingere potest, ut *dispositio* migret in *habitus*, eodem fere modo, quo puer fit vir. Id porro evenit, cum qualitas ex natura sua facile mobilis adeo firmas in subiecto agit radices, ut ab illo divelli vix possit, puta, sanitas huiusmodi, quae nullis vitae incommodis possit expugnari, atque febris, quae in tabido ita profunde medullas penetrat, ut nullo medicamine vinci possit. Idem locum habet quoad errorem et opinionem, quae aliquando tam pertinaciter adhaerent intellectui, ut nullis rationibus dimoveri possint<sup>3</sup>. E contrario, contingere potest, ut qualitas ex na-

<sup>1</sup> *Categ.*, lib. I, c. 5.

<sup>2</sup> « *Scientia habitus est in seipso ratam habens certitudinem, nec ulla ratione mutabilis est* »; s. Basil., *Comm. in cap. V Isai. Prophetiae*

<sup>3</sup> « *Haec ipsa quoque, puta morbus, sanitas, ac similia, si diutur*